

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Martis, decimo-ſeptimo Februarii Anni M. DCC. XXXIII.

autori M. Martineng.

M. URBANO LEAULTE,
Doctore Medico, Præſide.

An Eunuchus, *ut corpore, ſic & mente minor?*

I.

ONSTAT Homo ex animâ & corpore. Hæ ſubſtantiæ quamvis naturâ diſcrepent, ſic inter ſe uniuntur ſibique famulantur invicem, ut ex unius alteriuſve morbo vel ſanitate, alterutrius morbus ſanitaſve conſequantur. A Præpotente Deo in eum ſunt inſtitutæ finem, ut alterius altera opem depoſcat. Quid mirum, quòd hujus in illam & viciſſim,

transferantur πάθη? Quoties mœrore languet animus, quoties exultat lætitiâ: toties corpus aut affligitur humi, aut in cœlum ſine pennis quodammodò evolat. Ubi cerebri fibrillæ medullares quâvis ratione læduntur, aut à nativo tono recedunt, ſtatim vis animæ torpet, & ejus obſcuratur intellectus. Hinc in morbis pleriſque vel ex parte, vel omnino coercetur cogitatio. Cur autem in corpus anima, cur corpus in animam agat; quo inter ſe vinculo conſocientur; unde tam ſtupenda necnon reciproca ſubſtantiæ duplicis & indolis diverſæ ſympathia? In Democriti, ut aiunt, puteo adhuc latet. Hujus generis eſt commercium illud, ut annumerandum ſit inter Naturæ myſteria, quæ mortalibus abſcondita voluit eſſe ſupremus rerum Conditor. Quis hominum, vel œſtûs maris reciproci, vel gravitatis corporum, vel generationis aut etiam creationis ipſius rationem ultimam meditando aſſecutus eſt? Unquamne poterit enodari, utrum ideo Muſculus intumeſcat, quia repletur ſanguine? An ideo ſanguine repleatur quia protuberat & intumeſcit? Arcanas mechaniſmi corporei, *ſecretionum*, motuumve artes quis dicendo penitùs evolvet, aut interpretabitur? Satiùs homini, ac Medico præſertim, plurima mirari, quàm explicare velle Naturæ phœnomena, quorum noſſe cauſas uni competit Creatori. Quânam igitur arte corpus & anima in ſe invicem agant, percipere utiliùs, quàm definire; ſentire, quàm explicare faciliùs. An non, pro ætate inæquali, regione diverſâ, *Idioſyncraſiâ* diſſimili, variis demùm corporis & animi affectibus, diverſimodè ratiocinatur homo, valet, ægrotat? Mireris ergò! At ne dubites vim animæ, adeòque mentis & ingenii aciem, à perfectâ corporis partium, nobilium præſertim diſpoſitione, earumque multiplicatâ conſpiratione eſſe repetendam.

I I.

INGENIUM, ſeu mentis fœtus, dum humano corpori mens alligatur, totum, ut ita dicam, à ſenſibus pendet. Senſus, quos & *ſenſationes* licet appellare, vel ſunt interiores, vel exteriores. Interiores, quorum organum in nobis latet, ad animam potiſſimùm, ſenſorium commune, cerebrum & ejus appendices pertinent. Exteriores, licet in nobis, nihilo tamen minùs ſuperficiem corporis, ac præſertim capitis peripheriam ſpectant. Hi ſemper ab objectis externis primùm afficiuntur, dùm, & objecta, liberè genuina ad ſenſûs cujuſque organa deferuntur, & organa ipſa, ſuſcipiendis determinatis quibuſdam objectorum externorum *impreſſionibus* idonea ſunt atque diſpoſita. Hos inter numerantur viſus, auditus, olfactus, guſtus, tactus. Illi, quantumvis licet ſpiritali principio ac proindè animæ rationali primò debeantur, nunquam tamen, dum homo reſpirat, niſi dependenter ab ejus cum corpore commercio eliciuntur. Hinc, in diſtinctis, vel etiam in iiſdem hominibus adeò diſſimilis voluntas, intellectus, memoria, phantaſia; multiplex adeò ingenium, *ſenſûs communis* adeò diverſus. Non ab alio, diſpar Veneris deſiderium, ſitis, fames, dolor, amor, odium, & aliæ ſentientis appetitûs inæqualitates. Hinc etiam intelligere eſt, cur ab aëre, cibo, potu, motu, quiete, ſomno, vigiliâ, medicamentis, venenis, calore, frigore, conſuetudine, aliiſque tam variæ ſuſcitentur cogitationes, adeò diverſæ oriantur ideæ. Quòd ſi ab objectis etiam exterioribus perceptio quandoque poteſt ſollicitari vel hebetari : Quid mali non eſt naſciturum, ubi partium Corporis nobiliſſimarum hæc vel altera deficiet?

Hujus rei veritatem, *testiculorum* probat inopia. *Testes* speciei solùm perennandæ consecratos ne putaveris. Hi, quemadmodùm *soboli* procreandæ, sic *individuo* perficiendo, inserviunt. A *testibus*, ubi jam pubescere mares incipiunt, & *semen* emittere, totius *microcosmi* fortitudo, vocis gravitas, cerebri robur, *sensationum* omnium vigor. A testibus perfecta nobilium Corporis partium dispositio, multiplicata earumdem conspiratio. Hinc vir, non *semivir*; hinc mentis acies atque ingenium.

III.

AT in *Eunucho* partes aliquot, & speciei propagandæ & maris conservationi necessarias deficere, quis non deprehendit? *Eunuchi* nomine dicendus, qui *testibus* caret. *Eunuchum* natura, vel ars facit: natura, dum *testes* negat; ars, dum aufert. Nobilissimas inter partes corporis, primum merentur locum *testes*, *cerebrum*ve. Illi tantò cæteris, excepto *cerebro*, præstantiores, quantò *species individuo* nobilior. Corpora sunt vasculosa, quæ ad *penis* radicem inferiùs ex *abdomine* ferè semper prominent. Horum ope *semen* à communi *sanguinis* alveo secernitur, vel in ipsum *sanguinem* reversurum, vel, dum opus est, foràs expellendum. Numerus *testium* in homine, binarius est: unicus, raro; tres rariùs reperiuntur. Figurâ & magnitudine suâ benè constituti *testes ovum* æmulantur *columbinum*, cujus extremitates duæ, duo latera, duæ totidem margines distinguntur. Duplici *membranarum* involvuntur genere: tribus utrique communibus; tribus unicuique propriis. Communes, uno *scroti*, quod producunt, vocabulo definiuntur. Peculiarium extima, rubra vel *Erythroïdes* audit; *Elythroïdes* aut *vagina-*

lis, media ; intima demùm, *albuginea* nuncupatur. *Teſtium* ſubſtantia nihil aliud eſt, quàm mirabilis vaſorum omnis generis contextus, exiliſſimis præſertim, & *cylindricis* conſtans tubulis, qui *glomerum* inſtar & *inteſtinorum* more, circumvoluti, ſi evolverentur abſque diſruptione, immenſam longitudine ſuâ extenſionem adæquarent. *Arteriis* itaque, *venis*, *nervis*, *Lymphaticis* & ejuſmodi *tubulis*, quos vocant *excretorios*, vaſculoſa *teſticulorum* luxuriat fabrica ; quibus in deſcribendis, diutiùs hîc inhærere ſuperfluum. Vaſorum tam multiplicium, multiplicatorumque inter ſe, quid indicat apparatus ? ſemen elaboratum in teſtibus, ad ſeminales veſiculas idcircò transfertur, ut elaboratum ulteriùs, ulteriùſque præparatum, vel mediante pene, propagandæ prolis ergò, foràs ejiciatur, vel per *venas* & *Lymphatica* vaſa refluat in *ſanguinem*. Hinc & univerſis *microcoſmi* partibus robur, & *nerveis cerebri* ſtaminibus firmitudo, ac proinde *ingenio*, mentis ſoboli, acies, judiciumque accerſuntur. *Seminis* porrò in *ſanguinem* reflui negatâ in *Eunucho* facultate, cæteras corporis humani partes, *cerebrum* præcipuè, liquoris maximè neceſſarii defectu, laborare, notum eſt omnibus, atque manifeſtum.

IV.

CEREBRUM, animæ ſedes. *Cerebri* cum *teſtibus commercium* declarant morbus & ſanitas. Doleat quiſpiam ? *Semen* in *teſticulis*, aut nullo modo, aut lentiùs, tardiùſque conficitur. Lætetur ? Hoc idem in *teſticulis*, & conficitur citiùs, & accuratiùs cuditur. Id per nebulam cum vidiſſent veteres medicarum rerum periti, collexerunt ex hâc *ſymphatiâ* partis utriuſque *communio-*

nem. Neotericorum, à fectis cadaveribus nata cognitio, omnibus hodiè ferè numeris abſoluta, quâ fieret arte, *teſtium* cum *cerebro*, cæteriſque partibus *communicatio*; démonſtravit. Sic inter ſe connectuntur *nervi nervorum*que appendices, ut quidquid boni vel mali ab unâ eorumdem expanſione proficiſcatur, illud omne in vicinas primùm, deinde in ulteriores, remotiſſimaſque propagines redundet. A *nervis* vaſorum *ſanguiferorum* robur; ab iiſdem *muſculorum* virtus. Quò ſubtilior ſuccus *nerveus* & mobilior, eò fortior vaſorum *ſanguiferorum* elater; eò robuſtior *muſculorum*vis atque *contractio*. *Nervi* perſe quâquâ versùs vehunt, unde, tùm vaſa *ſanguifera*, tum *muſculorum* fibræ, ſuis quæque muniis ritè defungantur. At cùm elaboratum in *teſtibus ſemen*, præcipuam functionum in maribus obeundarum cauſam ſuppeditet, quis ſubtiliſſimam hanc functionum omnium ſcaturiginem, cum cæteris corporis humani partibus inſerviat, *cerebrò* præcipuè prodeſſe negaverit? *Cerebrum teſticuloſ*que, Malpighius, Williſius, Littrius noſter & Winſlovius, eâ ſunt perſcrutati curâ, ut ex rimatâ utriuſque partis ſtructurâ, eodem ferè modo pars utraque fabricata deprehenderentur. *Nervi* utrique parti communes. Hinc utriuſque commercium. Hanc partium inter ſe *conſpirationem ſemini* quis prætereà non adſcribat? *Semen* eſt *lymphæ* portio maximè tenuis & mobilis, viſcoſis tamen craſſiſque *moleculis*, præſertim dum excernitur involutâ. Hæc in *ſanguinem* reflua, non tuendæ corporis valetudini minùs, quàm corroborando, acuendoque marium *ingenio* conferre nunquam non eſt obſervata. Non aliunde, in Mœchis & nepotibus cum *ſeminis* in corpus univerſum refluxus fiat minor, virium in iiſdem contingit proſtratio, *pulmonum* debilitas, *lumbago*, aliaque producuntur *ſym-*

ptomata. Hinc in frigidis & *caſtratis* extinguntur concupiſcentiæ ignes, vox immutata, fit imbellis, & degener, *ingenium* cum barba, cum *ingenio* barba deficiunt. Hæc autem *ſpeciei* maſculæ vitia, *teſtium* aut *ſeminis* defectui quis non aſſignaverit?

V.

EUNUCHOS quamobrem averſentur Mulieres quæris? hoc non *veneri*, ſed *ſemivirorum* naturæ, genio, minorique mentis aciei tribuendum. Norunt fœminæ, rerum multarum magiſtræ, quid quiſque ſapere debeat, quid non. Eſt illud inter fœminas pervulgatum, imberbes, ἀνος ἰα eſſe; locutuleios obeſoſque homines, aut *caſtratos* eſſe, aut *caſtratis* affines. Infelices *Eunuchi* qui, parte corporis unâ deperditâ, non in mulierum duntaxat incurrunt odium, ſed & præſtantiſſimis animi corporiſque privantur dotibus, & nobilioribus imperii, vel reipublicæ muneribus, honoribuſque ſpoliantur. Numquid enim in *ſpadonibus* à refluo ſemine mutuatur cerebrum, undè benè ſe habeat? An non laxiores tunc & molliores *cerebri nervorum*que *fibrillæ*, objectorum externorum imaginem, tùm admittunt leviùs, tùm ad animæ ſedem debiliùs lentiùſque tranſmittunt? Quibus execti ſunt, reſecati vel avulſi *teſtes*, ii ad cogitandum tardi deprehenduntur, molles ad laborem, in iram proclives, in omne πάθων genus propenſiſſimi. Dicas animi morbis præ fœminis eſſe opportunos. In his deeſt benignus ille liquor ſubtilis, & mobilis, quo invalida *nervorum* ſtamina irrorari deberent, excitari, recreari. Quæ ab hujuſmodi naturæ fibris deferuntur ad animam *impreſſiones*, conditionis ſuæ ſapiunt imbecillitatem. Hinc quàm facilè in caſtratorum cerebro recipiuntur admittunturque objecto-

rum *imagines*, tàm facilè etiam delentur & obliterantur. Hinc animus eorum, oblatis, receptiſque rerum & *imaginum impreſſionibus*, non hæret tandiù, quandiù opus eſt, ut de ſingulis rectè poſſit judicare. *Seminis* itaque defectu mentem eorum hebeſcere fatearis. Ægyptiis mos fuit, ad Regem uſque Ptolomæum Cleopatræ fratrem, *Eunuchos* ab adminiſtratione imperii penitùs arcere. Imperatores Romani, præcipuè Conſtantinopoli, cùm regni capeſſerent habenas, Imperatorum, quorum in locum ſuccedebant, ſuperſtites *caſtrari* filios idcircò curabant, nè tandem aliquandò ad regendum Imperii clavum accederent. Quid autem hæc, inquies? Summi didicerant Imperatores, longo rerum uſu edocti, *Eunuchis*, & *ſpadonibus*, eam deeſſe vim *corporis*, & *ingenii* aciem, quam gerendis, gubernandiſque Imperii rebus, habilem experti fuerant. Vis plura? in eâ, quam profitemur, Chriſtianiſſimâ *religione*, nonne, ob *teſtium*, & mentis inopiam, à ſanctioribus Eccleſiæ myſteriis, ipſiſque Sacerdotii honoribus arcentur *ſpadones*, dejiciuntur *Eunuchi*?

Ergò Eunuchus, *ut corpore, ſic & mente minor.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Otto - Caſimirus Barſeknecht.
M. Robertus - Hubertus Linguet.
M. Achilles - Franciſcus Fontaine.
M. Joannes - Baptiſta - Ludovicus Chomel.
M. Nicolaus le Tellier.
M. Petrus Afforty.
M. Joannes-Baptiſta Chomel, Medicus Regis ordinarius, & è Regiâ Scientiarum Academiâ.
M. Philippus Caron, Antiquus Facultatis Decanus.
M. Alexander - Petrus Mattot.

Proponebat Pariſiis CLAUDIUS-CAROLUS DEJEAN, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1733. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1733.